

tur, locus ubi damnati Gigantes fortem suam lamentabantur; Job 26.5. Gigantes gemunt sub aquis; gemunt tyranni & superbi populorum dominatores, qui desolatam terram & oppressas nationes conculcaverunt.

i Isa. 14. 9. Huc spectant Prophetę (i), exhibentes Reges Tyri, Babylonis, & Ægypti in tenebris densissimis & carceribus squallentes. Eo loci damnantur impii & perditissimi quique, ubi se nullā factā exeundi spe clausos in perpetuum lugebunt (k). Hunc tandem Pagani appellant nigrum Tartarum, regnum Plutonis vel Ades. Consonat Psal. 87. 11. & Poetarum Gręcorum, & Latinorum Theologia cum iis, quę ex Scriptura alibi attulimus. Ex Patribus alii infernum sub terram deprimunt (l), alii ad imum abyssi, alii extra terram (m), in iis, quas appellant tenebras exteriores, quam postremam sententiam tuebantur ii, qui solem circa terram minimē torqueri credebant; antipodasque extra terram rejectos in locum perpetuā nocte cęcum amandabant.

Ita constitutā terra immobilis manet & inconcussa Eccl. 1. 4. Generatio preterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat. Et Psal. 103. 5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in faculum saculi. Psal. 118. 90. Fundasti terram & permanet. Si verō constantem hanc stabilitatis suę legem terra aliquando transgressa videatur, ut in terrę motibus accidit, Domino concutienti deputandum est. Irato enim oculo Deus terram respiciens, horrore illam ingenti concutit. Psal. 113. 7. A facie domini mota est terra, a facie Dei Jacob. Psal. 103. 32. Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant; & 1. Par. 16. 30. Commoveatur a facie ejus omnis terra, ipse enim fundavit orbem immobilem. Jerem. 10. 12. Qui facit terram in fortitudine sua; & 51. 15. Prudentiā suā extendit Calos.

His semel apud se constitutis, cavebant Hebręi ab accipiendā sententiā, quę Antipodas, sphericam terrę figuram, & rotantem circa illam Solem, & Lunam inducit. Erat igitur juxta illos terra planā superficie constans, nisi quantum a prominentibus montibus asperabatur. Quare in Hebręo cum de terra sermo, nunquam occurrit vox, quę orbem, & globum, quę voces sunt Latinorum, referat. Namque Hebręum *Thebel*, quod reddi solet orbis, sonat potius admixtionem quandam, seu terrestrium Creaturarum cętum; & in textu Originali legimus quandoque Terram ita super aquas extendi, ut metallum super incudem malleo percussum ducitur. Isai. 42. 5. Creans Calos, & extendens eos; & Psal. 13. 5. 6. Qui firmavit terram (Hebr. qui extendit) super aquas. Porro utrinque eadem vox Hebręa redditur in Vulgata firmamentum, quasi scilicet terrę facies ita aquas inferiores respiciat, quemadmodum firmamentum superiores. Sicut enim superiores aquas firmamentum velut agger impositus fręnat, ita terrę moles aquas superimposita prohibet, ne superiora tenentes universum in pristinum chaos demergant. Quę huc usque adduximus, te-

simoniis infra laudandis probantur. Vide Job 38. 4.

De figura terrę nihil satis exactum licet observare, interdum enim quadratam constituisse videntur; Congregabunt electos a quatuor ventis (a quatuor angulis) (n). Salomon regnaturus super universum orbem ita describitur Psal. 71. 8. Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Constituant enim mare Mediterraneum ad occidentem, Caspium sive Pontum Euxinum ad Orientem, en duo maria. Euphratem ad Septemtrionem statuunt; ita enim Scripturę phrasi situs describitur (o); ac tandem orbis extrema collocant in finibus Arabię Felicis ad Oceanum; quę sanē orbis figura ad quadratum accedit. Sed apertiora in eam rem suppetunt testimonia. Scitum est ex veterum Geographorum sententiā [p], terram habitabilem in longum multo, quā in latum, magis prorogari. Plus nempe ab Oriente in Occidentem, quā a Septemtrione in meridiem excurrere. Constituebant scilicet illi terrę sibi tantum cognitę dimensionem.

ARTICULUS III.

De Mari.

Terra, quam undique mare cingit, amplissima cujusdam insule speciem præbens, aquis undique permeantibus, atque pelago innatans, ne errabunda vagetur validā Numinis dextrā continetur. Suos habebat mare terminos; hinc terram habitabilem, hinc aliam terram, cui Cali extremę orę incumbunt. Hęc pluribus Scripturę textibus insinuari videmur. Proverb. 8. 27. Quando certā lege & gyro vallabat abyssos. Job 26. 10. Terminum circumdedit aquis, & 38. 11. Usque huc venies, & non procedes amplius; hic confringes tumentes fluctus tuos. Gemina sunt alia plura Scripturę loca, uti Psal. 32. 7. Proverb. 8. 17. Jerem. 5. 22. in quibus omnibus, quantum capio, duo, mare claudentes, termini apparent; intimus alter terra habitabilis, alter verō extrinsecus terra nobis latens, & inaccessibilis constituitur, Justorum post obitum plena deliciis sedes. Hęc diximus juxta sententiam Esseniorum, a Josepho de bello lib. 2. cap. 7. pag. 788. relatam, mirē systema a nobis propositum confirmantem. Ideam hanc sibi quoque formasse Veteres ex Cosma Monacho Ægyptio lib. 4. pag. 186. &c. intelligimus. Nomina circuli, lineę circumvallationis, quibus Scriptura terminos maris designat, documento sunt, Hebręos sphericam terrę figuram vel saltem ad sphericam accedentem concepisse. Ita semel persuasi, cum vastum aliquod Principis imperium per hyperbolem exaggerare vellent, dicebant (q): Dominabitur a mari usque ad mare; nempe intra duos Oceanos. Maris extrema terminus habebantur, unde ulterius excurrere nemini mortalium permillum esset. Psal. 138. 9. Si assumpsero pennas ut aquile,

n Matth. 24. 31. Apoc. 7. 1. & 20. 7.

o Jerem. 1. 13. & 3. 12. 18. & 47. 2. & 50. 3. & passim.

p Strab. lib. 20. pag. 79. Dionysius Perieget. Cicero. Somn. Scipionis.

q Psal. 71. 8. Vide Amos 8. 11. Micha. 7. 11. Zach. 9. 10.

1 Job. 20. 5. 10. Psal. 125. 7.

2 Gen. 1. 2.

3 Gen. 49. 25.

4 Deut. 33. 13.

5 Gen. 8. 2.

6 Gen. 1. 10. 11.

ta, & volavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me. Ut pluvias & nubes a mari ascendisse demonstrent, hac utuntur phrasi (r): Educas nubes ab extremo terre, i. e. a mari, quod ultimus est terrę habitabilis terminus. Moyfes Gen. 1. 2. terrę statum sub ipso exordio describens, ait, abyssum terram obvolvissē (s). Psal. 103. 6. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus. Volens Deus arenis elementi faciem revelare, ruere jussit aquas, ejus superficiem obducentes, in abyssi voraginem Gen. 1. 9. 10. Quibus jussa complentibus, emerfit subitō terra, veluti insulę, quas a fundo maris super ejus superficiem extolli attoniti nauta spectarunt.

Accesserunt a mari Judæi fontes omnes, fluvius, & aquarum venas, quę in amnes & torrentes fluunt. Eccl. 1. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant. Id autem Sapientię Divinę accepto Proverb. 3. 20. refertur: Jacob postremam benedictionem Josepho filio precaturus, sperare jubet benedictionem a Calo sursum, nempe imbres & rorem (t), & abyssi jacenti deorsum, nempe aquarum ubertatem cęco meatu a mari, cui terra innatat, deducarum. Paria Moyfes precatus est in Tribum Joseph pauld ante obitum (u). Et cum diluvium Gen. 7. 11. describit, ita rem narrat: Catacacta Cali aperta sunt, & rupti sunt omnes fontes abyssi magna, i. e. aquarum nimbo a Cęlo exculso, accesserunt aque ex inferiori pelago profluentes, quę in torrentis modum disruptis aggeribus erumpentes, terram omnem demerserunt. Cessantibus imbribus (x): Deus abyssi ostia conclusit, ne constitutos sibi aggeres prætergredereutur, mandans.

Cum res itaque ita haberent sese, non est cur vehementer miremur, si nusquam appareant hodie quatuor illa flumina Paradisi terrestris (y), ex eodem loco & eodem fonte, sicut olim ante diluvium, profuerint. In tanta enim eluvione, atque turbatione rerum fontibus obstructis, juxta ac Moyfes insinuat, confertique terrę statis, novas sibi vias aque aperuerunt; undē factum, ut novos alveos, veteribus obstructis, atque fontibus immutatis, amnes sibi formarent. Cum etiam exacto diluvio Dominus novas illas scaturigines claudens, tantum aquarum dilabi permisset, quantum humectandę terrę sufficeret, veteres fontes aliō planē translati a pristinis ostiis magno spatio recesserunt. Superfedemus hęc a falsitate vel veritate hypothesis Mosaicę discutienda, illud demonstrasse contenti, quod magis veritas narratę ab illo historia de primæva quatuor fluminum habitudine consistet, nimirum etiam post diluvium illorum annuum fontes in eadem adhuc regione spectari, pro magna illa rerum turbatione non satis distantes. Quando res esset nostrā ætate explorata, fontes aliunde quā rectē ex ipso mari (quę fuit Hebręorum sententiā) deduci, negari tamen non potest, nisi pervicaciū Moyfi asserenti fidem denegemus, fontes in extrema mundi circum-

volutione turbatos disruptosque fuisse, nec aliter sanē accidisse in tanta aquarum inundatione potuit; cum enim subterranei aquarum alvei tantam aquarum vim continere non possent, regurgitarunt undique, novisque apertis meatibus veteres etiam plures, ut ferē accidit in alluvionibus, obstruxerunt. Ita planē conciliari potest historia Moyfis cum fide rerum, quas post diluvium nostrā etiam ætate spectamus.

Regiones omnes nonnisi maritimo itinere adeundę Insularum gentium nomine a Judæis designantur. Terram enim respiciebant veluti amplissimo continentis tractu prorogatam, quam perluerent flumina & lacus, generali vocabulo maria appellata. Præter ista maria, aliud agnoscebant, magnum mare, variis insulis, a continenti divulsis, disseminatum. Quod autem de illis vulgatum est, nimirum insulę nomine omnes regiones maritimas, eorum sermone significari, id planē verum non est, si exacta rerum notio attendatur. Habebant enim illi eandem Insularum ideam, quam cætera per orbem nationes, quanquam a geographiæ imperitiā atque maritimum itinerum defectudine factum sit, ut non raro imprudenter insulę nomen continentis quibusdam, sed maritimis itineribus adeundis, maritimis regionibus tribuerent; rati a continenti determinari, quę alioqui cum illo jungebantur. Ita e. g. posteros Javan frequentasse insulas nationum (z), nempe Asiam minorem, Insulas Archipelagi, Peloponnesum scribunt: & Jerem. 2. 10. nomine Insula Cethim Macedonia designatur, sicut & Ezech. 27. 7. Insula Elisa est Elea in Peloponneso. Danda est faciliē errantibus venia, cum paria apud Veteres occurrant peccata, immo & majora in rebus Geographicis, quę sanē minori veniā digna sunt, cum in majori sæculorum luce erraverint, quā quę Authoribus sacris affulserit, atque inter excultiores populos, quā Hebręi haberentur. Si quid autem erroris est eā de re in Libris Sacris, id sanē vulgo deputandum, non Scriptoriibus, qui ad captum Lectoris stilum suum accommodare debuerant.

ARTICULUS IV.

Cali & Astra.

Tres Hebręorum sententiā alter super alterum Cali constituuntur. Primum cæteris depressius, aer est, per quem locum aves cali volitantes discurrunt (\*), occupant nubes terram irrigantes, ibidemque vapores, & ros juxta eorum opinionem formantur. Alterum Cælum sublimius firmamentum appellant, quod insertas continet stellas, atque perambulant ad præscriptum summi rerum Arbitri Luna pariter & Sol. Locum suprā firmamentum occupant aque superiores, de quibus infra. Tertium tandem Cælum omniū sublimissimum, sedes est Summi Numinis (a), quod raptus, Apostolus, ineffabilia & arcana verba audit [b].

z Gen. 10. 5.

\* Gen. 1. 26. 28. & 2. 19. & passim.

a 3. Reg. 8. 23. Deut. 10. 14. b 2. Cor. 12. 4.

Quod Rrr 2

c Joseph. Antiq. l. 1. c. 1. Sever. Gabal. Orat. 2. Cyr. Jerof. Cathec. 6. Novat. l. 2. de Trinit. c. 8. Ambros. l. 2. c. 4. Hexaem. Hieron. Ep. 82. ad Ocean. Theod. q. 2. in Gen. Mari. Vit. l. 1. Carm. in Gen. Cosm. Egypt. l. 10. Beda Hexaem. Raban. in Gen. 1. Honor. Augustodun. l. 2. de Imag. Mundi. Procop. in Gen. d. Hidelb. Turon. tract. Theolog. c. 23. Hugo Victorin. Hil. in Ps. 122. & alii. e Vide Damascen. l. 2. de Fide c. 6. f Basil. Hom. 3. in Hexaem. Greg. Nyssen. in Hexaem. Euf. Prap. l. 11. c. 16. Aug. Oper. Imperf. in Gen. ad lit. Ruper. in Gen.

(b). Quod ad aerem spectat, nemini ignotum esse arbitror Caeli nomine apud Hebraeos designari. De firmamento Moyses Gen. 1. 7. testatur, post constitutum illud à Deo, nomen Caeli ab ipso inditum retulisse, Solis, Lunæ, & astrorum sedem, constitutum fuisse, mediumque tandem collocatum dividendis aquis inferioribus à superioribus. Diu olim disceptatum est apud veteres Christianos de natura & dotibus firmamenti, nec magis eate nostrâ sive inter Judæos, sive inter Christianos Interpretes convenit. Sunt qui concretam solidamque glaciem credant, ingentem aquarum vim cohibentem, ne inferius decidat (c): alii verò malunt firmamentum ex ignea quadam materia componere [d], alii ex aqua (e); alii è vaporibus aeris (f), sive fumi; alii tandem è mixtura quatuor elementorum, sive ut alii malunt, ex quinto quodam elemento ab aliis quatuor diverso.

Ex constanti tamen Scripturarum tenore discimus, veteres Hebræos in ea fuisse sententia, ut crederent firmamentum solidissimo quodam corpore compactum, quò superimpositam aquarum molem sustineret. Nec malè quis juxta eorum sententiam veluti ingentem concameratum fornicem conciperet. Ita planè sensisse visus est Josephus Antiq. lib. 1. cap. 1. narrans Deum obvoluisse Cælum glaciali quadam tefudine. Vox Hebræa Rakiach, quam reddunt firmamentum, sonat potiùs metalli laminam malleo ductam. Job 37. 18. comparat Cælos aëno cuidam speculo malleo fabricato. Ifaias 40. 22. juxta Septuaginta, Syriacum, & Arabicum, habet: *Extendit ut cameram Cælos*; inde veteres Patres ferè omnes suas de firmamento ideas hausierunt. Narrat Moyses Gen. 7. 11. Deum, postquam consilium de imittendo diluvio inivisset, reclusis Cæli cataractis aquarum torrentem demississe. Rogans Ifaias 44. 1. ut Deus è Cælo descendat, ita votum suum exprimit: *Utinam dirumperes Cælos, & descenderes.* Jesu Christi è Baptismi lavacro descendentis vertici Spiritus Sanctus disruptis Cælis descendens ante omnium oculos incedit, ait S. Mattheus, 3. 16. & Marc. 1. 10.

Fatemur quidem Cælos interdum expanso velo comparari Psal. 103. *Extendens Cælum sicut pellem, qui tegit aquas superiora ejus.* Jerem. 51. 15. *Qui fecit terram, in fortitudine sua, & preparavit orbem in sapientia sua, & prudentiâ suâ extendit Cælos, Ifaias 34. 4. Et complicabuntur, sicut liber, Cæli, quia dies ultionis Domini.* Tandem quem locum supra ex Septuaginta laudavimus, *Extendit ut cameram Cælos*, Hebræus reddit: *Extendit Cælos ut tenue aliquid*, i. e. velut carbasum, seu tenuem aliquam pellem. Sed in his omnibus textibus summa Dei potentia potiùs relevatur, qui Cælos formavit solidos, vastosque, ita facili negotio, quàm si tenue aliquid velum expandendum esset. Hæc tandem omnia mirè adstruunt hypothesim, quæ firmamentum ceu concameratum quendam fornicem, duabus terris ultra & citra Oceanum incumbentem, constituit.

Ita planè nos docere Scriptura videtur, quæ duo camerae caelestis latera infinito inter se spatio determinari notavit [g]: *Si ad cardines Cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus.* Eduardus se Deus in Babylonem minitatur hostes è summitate Cæli (b); & Psal. 7. diurnum solis cursum ita describit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo Calo egressus ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* Job 26. 11. *Columnæ Cæli contremiscunt, & pavent à natu ejus; & David. 2. Reg. 22. 8. Fundamenta montium concussa sunt, & conqussata, quoniam iratus est (i).* Hæc planè omnes loquendi phrasæ exprimiunt ædificium, cuius fundamentis concussis, totam deinde molem ad summum usque fastigium concuti necesse est. Cælum enim veluti tectum imponit ædificio, terra fundamenta, & columnas sustinet: *Cæli Calorum, ait Eccli. 16. 18. Abyssus, & universa terra, & qua in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur.* Porrò si illi eandem ac nos Calorum ideam habuissent, quasi scilicet terram veluti in circuli meditullio constitutam ita ambirent, ut nulla sui parte illam contingerent, nunquam sanè in animum inducere potuissent, ut terra furore Domini correpta, totam posset Cæli machinam concutere. Neque ea sententia adeò fuit Hebræis peculiaris, quin plures haberet apud Philosophos assertores.

His autem semel constitutis, quam ejus sententiæ necessariae consecutiones inferuntur solida immotaque Cæli consistentia, ejusque ab omni admixtione secreta puritas. Sunt enim glacies immanis, solidissima, ut frangi nunquam ulla vi possit; neque fieri sanè potest, quin immobiles sint & inconcussi, si terra ultra Oceanum constituta innitatur, succianturque columnis Dei ipsius manu firmatis. Prov. 3. 19. *Dominus stabilivit Cælos prudentiâ.* Oculis spectasse se Deum, cum Cælos firmaret, & constitueret, Sapiëntia gloriatur, Prov. 8. 27. Si quando in Scriptura stabile aliquid solidumque designandum est, permansurum dicitur cum Cælo. Psal. 30. de Regno Messæ sub Salomonici symbolo agens: *Et thronum ejus sicut dies Cæli; & Moyses Hebræos ita affatur: Terram, quam juravit Dominus Patribus tuis, ut daret eis, quandiu Cælum inminet terra.*

Aquæ superiores Firmamento incumbentes, veteres recentioresque Interpretes mirè torserunt; alii ipsissimas esse nubes autumarunt, alii vapores [k]. Sed veteres Hebræi rem planius concipientes, simplices & meras aquas fluidas, & ejusdem planè cum cæteris naturæ supra Cælum constituerunt. Id planè ex ipsa Scriptura ultrò insinuari videtur, malueruntque sanior veterum PP. pars (l). Moyses Gen. 7. 11. dilapsas inde aquas in terram diluvio inundante narravit; ait enim, disruptis Dei virtute Cæli cataractis, aquarum torrentem Deum in terram immisisse. Has aquas Deus juxta phrasim Psal. 32. 7. in the-

g Deut. 30. 4. & 2. Exod. 1. 9. h Isa. 13. 5.

i Hebræ. habet: fundamenta Calorum.

k Vide August. de Gen. ad Lit. l. 2. cap. 5. l Just. seu alius QQ. ad Orthodox. q. 93. An. tioc. in Hexaem. Basil. hom. 3. in Hexaem. Nyssen. in Hexaem. Ambr. in Hexaem. l. 2. c. 3. Severi. Gabal. orat. 2. De Creat. Theod. q. 11. in Genes. Procop. Beda Raban. in Genes. Vide & Aug. de Gen. ad lit. l. 2. cap. 1.

fauris suis continet; *Pones in thesauris abyssos; & Psal. 8. mala in se inundantia exaggerans, ait: Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum; omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.* Osee 2. 21. habet, nubes siccitatis tempore hiscente in Deum ore clamare, ut aquis demissis, ex ejus thesauris irrorentur. Nubes ipsæ Prov. 8. 28. exhibentur tanquam canales ex abyfso superiori in terram aquas deducentes. Alibi verò describuntur nubes tanquam utres dimissas è firmamento aquas continentes (m). Deus immisurum se in terram sterilitatem ita planè denunciat; ait enim clausuram se Cælum, ne pluviam sillet (n), commissurum ut Cælum aheneum, & ferreum sit super eos (o). Nec aliunde quàm ex abyfso superiori rorem ipsum deducebant [p]. Uno verbo, sicut Oceanum inferiores, ita Firmamentum superiores aquas suppeditare credebant.

Sol & Luna tanquam animâ & intelligentiâ prædita à Judæis credebantur, rati planè eorum voce Dei laudes quæ latè patent terrarum orbis, celebrari (q). Credebant insuper ortus & occasus sui tempore astra illa habere perspecta (r); nec cæci planè ratione Divinis jussionibus obsecuti, ut eo jubente stare, retrogredi, tenebras pleno die inducere, Domini furorem denegato lumine exprimere noverrint (s). Gemina illa Astra tanquam Rex & Regina Cælorum exhibentur (t), quæ partito imperio diem moderantia, alterum diei, alterum nocti præsit; juncto verò Regno Astris, Hebræorum filo dictis milita Cæli (u), imperarint. Utraque hæc perpetuo motu occupata, terræ tamen circumulum nunquam complent; namque juxta ac supra observavimus, inferiorem terræ partem Cæli non ambiunt.

Quam autem viam Sol ab Occidente in Orientem designet, nullo satis aperto Scripturæ testimonio docemur; singularia profus è de re Veteres prodiderunt, infra à nobis afferenda. Ita Scriptura (x): *Cæli enarrant gloriam Dei. . . . Dies diei, eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. . . . In fines orbis Terra verba eorum. . . . In sole posuit tabernaculum suum. (Dominus), & ipse (sol) tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo Calo egressus ejus, & occursum ejus usque ad summum ejus. Hæc mensura & terminus cursus solaris. Sapiens in Eccl. 1. 4. 5. apertius aliquid pandit: *Oritur sol & occidit, (y) (phrasis est in Scriptura frequentissima) ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & stetit ad aquilonem, lustrans universa in circuitu: pergit spiritus, & in circuitos suos revertitur (z).* Depingitur planè his verbis assiduus rapidusque Solis cursus ex oriente in Occidentem, è meridie in Septentrionem rapti. Prior ille motus satis omnibus patet, regressus verò ex occidente in meridiem, & ad Septentrionem non item.*

Duo olim celebrabantur apud Veteres systemata. Erant qui crederent, solem cum

primùm ad Occidentem pervenisset, in mare demergi, ut cursus æstivum atque radiorum diurnam erogationem, aquarum elemento refrigerare, ejusque humiditate lucem reparare potuisset (a). Ita verò restitutus omnibus, per latentes cæcasque vias in pristinum locum restitui solem credebant. Aliorum systema ita fermè concipiebatur: cum primùm sol ad occidentem pervenisset, porrectum ad meridiem montem offendeat in conum, sive in pinum desinentem; post illum montem totâ nocte percurrens, sub ipsum exorientis diei articulum in Orientem restituebatur, majori nominore spatio cursu emenso, quò brevior ad montis cacumen, vel infra illud longiorem viam tenuisset (b). Quid Hebræi sentirent, in medium relinquentium duxi; potuit facillè Salomon significasse, Solem singulis noctibus alterno cursu meridionale septentrionaleque terræ partes percussisse, ut scilicet quo tempore noctem unum clyma teneret, alterum diem haberet.

Solis & Lunæ eclipfes prodigii loco habuisse Judæi videntur, perinde esse rati sive astra cursum sifterent, vel retrogrado cursu ferrentur, ac paterentur eclipsum. Amos 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebre scere faciam terram in die luminis (c).* Interpositione manuum Dei inter montes & astra causari eclipsum Job 36. 32. insinuare videtur: *In manibus abscondit lucem, & præcepit ei ut rursus adveniat; & 9. 7. Qui præcipit Soti, & non oritur, & stellæ elaudat quasi sub signaculo.* Ad captum vulgarium magis loquitur Ezechiel 32. 7. cum eclipsum objectu nubium causari designat; in obitu enim Pharaonis Regis Egypti funus naturam universam celebraturam dicit: *Et operiam, addit, Cælum, & nigrescere faciam stellæ ejus. Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum.* Joel tribus in locis Solis & Lunæ fulgorem obductum, tanquam apertissimum Dei in homines furentis documentum exhibet (d).

De tonitru plus aliquid quàm de nature phenomèno suspicabantur, rati furoris esse Dei datam hominibus significationem. Quare nullo alio in Scripturis appellatur nomine, quàm *Vocis Domini* (\*). Super hoc, ait Job. 1. 37. *Sec. expavit cor meum, & motum est de loco suo. Audite auditionem in terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem.* Subter omnes Cælos ipse considerat, (Hebr. extenditur) & lumen illius super terminos terræ. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur cum audita fuerit vox ejus. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia. Eiusdem phenomèni naturam & effectus latè persequitur Psal. 28. *Vox Domini super aquas, Deus manifestatus intonuit, Dominus super aquas multas. (nempe tonuit super aquas in firmamento constitutas) Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Et comminet eas tanquam vitulum Libani, &*

a Hom. Iliad. Tb. V. 485.

b Cosmas Egypt. l. 4. Cosmog. pag. 186. &c.

c Vide & Jerem. 15. 9. Is. 13. 10.

d Joel. 2. 10. 31. & 3. 15.

\* Psal. 17. 14. & 28. 3. &c. Exod. 9. 23. & 20. 18.